SYDVS CAELI GALLICANI

SIVE

ORATIO

DE S. IVONE

PAVPERVM ADVOCATO

HABITA IN EIVSDEM TEMPLO

AD S.R.E. CARDINALES


AB ANTONIO RADICCHIO FLORENTINO

Sem. Rom. Cler.



ROMAE, Typis Hæredum Francisci Corbelletti. M.DC.XXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.



VRBANO VIII.

PONTIFICI

OPT. MAX.




ANTONIVS RADICCHIVS. F.




XHIBVI non ita pridem additum olim Cælo Gallicanũ ſydus PVRPVRATIS Romæ SYDERIBVS contemplandum. Eos videlicet ſpectatores habuit inter ſydera relatus IVO, quos velut ignes æternis ignibus pares è Vaticano Cælo Sol VRBANVS accendit. Nam hoc etiam nomine manum habes parem ſimul, & affinem Soli, quod Tu quoque Cælum cumulare ſyderibus potes. Vnus Tu ſupereras, quem ſpectatorem ambiebat ſydus meum. Solem Te ſcilicet affectabat. Authori enim ſuo ad-


esse mirum quantum sydera desiderent. Erraui ne dum VRBANVM tanti syderis authorem dixi? at Solis illius Vicarius ipse Sol es, qui eximiæ sanctitatis affusa luce in splendidum Cæli sydus accendit IVONEM. Aeternum ergo sanctiorum syderum authorem maiestate simul exhibes, & potestate. Quare vnum Te, vtpotè qui ab authore Principe plurimum Solis instar trabis, adit IVONIANVM sydus, atque id ea de gratia, vt si quod antiquæ lucis detrimentum obducta orationis meæ caligine passum est, benigno Tui luminis afflatu reparetur. Qua igitur terrarum vniuersitatem beas, luce, illam syderi meo tantisper impertias; solius enim hoc VRBANI est, quia Solis vnius est.



ORA-



ORATIO.





PLENDIDIS illuſtrare ſyderibus Cęlum, nobilique nouorum ignium additamento familiã cumulare ſtellarum, illius opus dexteræ ſemper fuit, quæ vnà cum minorum luminum flammis Solem ipſum, & Lunam, reliquorum veluti ſyderum Principes, & Optimates accendit, Eminentiſſ: Principes. Ad nutum enim dexteræ molitricis, quæ ſuis adeſſe ſtellas obſequijs imperauit, illuſtriores illæ ſuperiorum orbium particulæ præfulſerunt; quæ dum natiuo lucis auro Cęlum ditant, telluris interim Sole deſtitutæ ſolãtur ſimul, & recreant orbitatem. Quis proinde Diuinæ manus illuſtre prodigium fuiſſe non affirmabit, cum terrenam mortalitatis noſtræ particulam in ſplendidam ſuperioris mundi facem immigraſſe ſuſpexerit? Nimirum tellus etiam noſtra ſtellarum ſuppeditare materiam didicit Opifici ſuo, & in æternas immortalium ignium flammas accendi noſtra quoque mortalitas potuit. Hoc

autem Britanniæ Gallicæ decus fuit Auditores; cui si non Anglos cum magna illa toto orbe diuisa Britannia contigit educare, Angelos certè, stellis nempè lucidiores faces inferre Cælo concessum fuit. Et sanè quis Cæli Gallicani stellam appellare dubitabit IVONEM? luculentum illum egenorum Patronum ne dixerim, an Patrem? Dum enim virtutum omnium splendore conspicuus sua interim beneficentia calamitosis mortalium gregibus præsto aderat IVO, non ne stellarum ille mores omnes expressit, quæ dum à Sole mutuantur lucem, fælices interim sortes benigniore afflatu mortalibus impertiuntur? Atque hoc ego argumentum orationi constitui meæ, vt quoniam sua nitere satis non potest, luce saltem eniteat aliena. Tu, cui non vltimo loco fulgere datum est inter eos, qui sempiterno de lucis fonte deriuatis in se radijs veluti stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates, tantum ingenio meo lumen affunde, quantum digna te laudatio deposcit.

Qualem suis destinaret obsequijs IVONEM Deus vterũ ferenti Matri præmonstrauit certo consecuturæ prę-sagio sanctitatis. Præuidit enim in somnis Azona (hoc IVONIS Mater nomine ferebatur) prolem vtero gestare se supremo futuram Numini charissimam. Vidit opinor matrum fortunatissima sobolem suam in ipso exortus veluti crepusculo nouã quasi stellam illi cũ iucunditate lucere, quem nunquam intermisso præconio laudant astra matutina. Quid enim? Octauium Cæsa-

rem, cui præclarum Augusti cognomen fortunata facinora pepererunt, nondum serenitati publicæ in lucem editum instar Solis è Matris vtero prodeuntem vidit Octauius Pater; quod omen illi certissimum fuit, vel à se Romano Cælo Solem addendum, vel imponendum à se Romanorum Imperio Principem, qui beneficas, augustasque dispergeret cum Sole manus. Ita Cæsarum Soli Sol ipse syderum Cæsar Augustissimus seu facem prætulit imperaturo, seu eundem præuij luminis anticipato coronamento terrarum Orbis inaugurauit Imperatorem. Quod si tenebris Inferorum obruendum caput lumine suo prænunciauit Sol, cur illustrem obiecti syderis facem futuræ indice sanctitatis non habuerit Ivo, hoc est æternis olim Cæli syderibus addendum lumen? Et quidem eximiæ futurum luce sanctimoniæ perillustrem Ivonem præmonstrata etiã Matri gigantis effigies luculenter ostendit. Præsensit enim Azona Gigantem se Galliæ parituram; illis tamen omninò dissimilem, qui non magis enormi excrescentis in immensum corporis proceritate celebres, quàm impia sceleratæ mentis atrocitate damnati, eò audaciæ prouecti sunt, vt in Cælum insolescere, & bello penitus execrabili immortalia Numina prouocare non dubitauerint. Amare quippè non poterant Cælum odiosissimi terræ partus. Ivo tamen, vt qui ad vnius obsequium numinis nascebatur, vel in primo lucis vestibulo communem sanctiorum hominum ordinem fælicissimè prætergessus, charitate simul, ac sanctitate planè Gigantea

ferebatur in Cælum. Vix ergo mortalibus additus, Cælestia occępit immortaliū affectare consortia ingenuus puer; vt qui non ignorabat in Cælo solū sydera versari. Quem paulò ante sub solis imagine præmonstratū Patri retulimus Augustum cum stellis etiam lusisse puerū ferunt. Quid, rogo vos, accidere potuit opportuniùs Auditores? Cum stellis quippè ludere, hoc enimuerò decet collusorem Solem. Nec alios decere se ludos Ivo cognouit, quam qui seriò cum Cælitibus exercentur. Nouerat enim quam raro ludatur cum hominibus innocenter, & quam studiosè nostros inter ludos rem suam procuret veterator fallacissimus Inferorum. Sed quoniā diuina sacrorum Vatum oracula ijs tantummodo locum inter sydera pollicentur, qui multos ad iustitiam erudiunt, & informant, Parisios Ivo perrexit, vt in Augustā illa Regum Aula, & Principum celeberrima regia doctrinarum, eam sibi Sapientię supellectilem compararet, quam deindè cæteris impertiri posset. Hic verò quid attinet dicere quanto cum studio morum ille procuraret integritatem, cum sublimiorū disciplinarū præceptionibus mentem imbueret? Cauit enim religiosissimus Adolescens, ne dū Parisijs Athenas habebat ingenium, Lutetiam interim animus experiretur; studuitque diligentissimè, ne pretiosam illibati candoris margaritam perderet, aut inquinaret, dum in medijs circumfusi luti sordibus aurum sapientiæ conquirebat. Quid enim (aiebat secum Ivo) comparatę doctrinę lucrum prodest, si detrimentum fiat innocentiæ? Ille verè sapiens est, qui

 sum-

summa vitiorum in ignoratione versatur. Vna criminum ignorantia quæsitum sapientię locum parat. Extremę dementiæ est cum vitio fieri Sapientem. Sola, & verè prima sapientia est, peccandi stultitia caruisse. O quantum didicit, qui studendo seruare didicit integritatem. His Ivo præceptionibus informabat se se, cũ Lutetia tandem digressus Aureliã venit, vt ea in Vrbe iuri Pontificio simul, & Ciuili operam daret, ne vlla planè lux esset, quã stellarum ritu de sapientiæ Sole non hauriret. Neque verò dum leges, quibus mortales reliquos compescerer, addiscebat, ijs interim legibus absoluebatur, quibus vltrò iampridẽ alligauerat se. Turpe simul, & absurdum ratus ijsdem se nodis exoluere, quibus ad salutem studebat alios obligare; tametsi libertas omnino Regia est aureis diuinarum legũ vinculis impediri. Sed cur prima hæc Ivonis vincula nos diuitius remorãtur? Quando vagantes erraticorum syderum cursus, motusque imitatus eodem ille stare loco nescit; si Cælum tamen excipias, cuius æterna statione decedere, nec etiã dum suis huc illuc erroribus distrahuntur, syderibus licet. Studiorum igitur omnium emenso curriculo sacris initiari sè petijt Ivo, vt ijs nempe stellis adnumeraretur, quas effectrice stellarum manu, suo velut affixas Cęlo gerit is, cuius dexteram stellarum omnino septem luce conspicuam Ioannes vidit. O possem hìc ego dicendo prosequi; quàm benè fæliciterque syderis absolutissimi partes omnes expresserit in Sacerdotum numerum relatus Ivo? tunc profectò vestris ego votis

 obse-

obſequerer Auditores. Expectatis enim, opinor, aſtro-rum ab IVONE vigilias adæquatas. Dicerem, vel inſomnes ab eo traductas noctes, vel cum adeo modica ſoporis indulgentia productas, vt ad Cæleſtium flammarum æmulationem vigilare perpetuò videri poſset. Nā quoties longa diurnorum laborū laſſitudine defatigatus breuem componebatur in ſomnum, ne altiùs obdormiret (ſi tamen dormire altè non poterat, qui præcelſo dormiebat in ſinu Diuinitatis) prædurum ille ſaxum capiti ſupponebat. Saxum inquam capiti ſupponebat IVO, cui fulciendo ſpontè delapſa de Cælo ſydera ſubiecisſent ſe. Nodoſis præterea intextam virgis cratem corpuſculo ſubſternebat, vt in ea nodorum inæqualitate æqualem ſomno ſyderum faceret in dormiendo menſuram. Quin etiam ſetoſa identidem veſte ſuperindutus cubabat ne, an excubabat? Ad excubias enim veriùs, quàm ad ſomnum iacet, qui opportunum torquendo corpori veſtimentum gerit. Depoſito ſemel auguſti luminis paludamento, ſacco indutus cilicino videri voluit aſtrorum maximus Imperator Sol. Quo in ſpectaculo illum ego dixerim adumbratum Solem, quem noſtrorum criminum moleſtijs appetitum cilicio indutum nouimus in ſereniſſimo Prophetarum. Et mirabimur, ſi ſplendida Principis ſui exempla proſecuti minores etiam ignes cilicio indutos exhibuerint ſe ſe? An non indecorum eſt molliùs haberi ſydera, quàm Solem? Gratulari potius hìc nos decet, Auditores, quod intextis apud homi-

nes

nes rudioribus indumentis ipso etiam in Sole, ne dum in Cælo pateat locus. Affixum Cælo desideratis Iuonianum sydus? exequerer septem aliquando, alias quinque ab ipso traductos dies, cum continenti Cælestium rerum contemplatione defixus ne latum quidem vnguem suo potuit è Cælo diuelli. Cibum prætere a stellarum dapibus haud absimilem quæritis in IVONE? darem profecto simillimum. Censuerunt enim aliqui philosophorum, stellas, amplissimos dico Cælestis Reipublicæ magistratus, attenuatis de marium, fluminumque materia, & elatis in sublime potionibus enutriri. Dum ergo dies vllo sine cibo quam plurimos transigebat IVO, vno stillantium ex oculis lachrymarum dulcissimo pane contentus, nonne consimili, quo Conuiuæ illi cælestes, epulo nutriebatur? præterquamquod vnio ille verè vnicus, qui è candido diuinitatis rore concretus, & è magno mari Virginis maximæ in pretium simul, & epulum generis humani profusus fuit, in quotidianũ IVONIS pabulum cessit super omnia epulantium syderum fercula pretiosum. Sed quoniam ea mihi facultas non suppetit, qua hæc omnia valeam exornare dicendo, vnum affero, quod vt exornetur aliena luce non indiget. Operabatur semel ad aras IVO, cumque inclusam sub sacri Panis integumento diuinitatem de more supra caput attolleret adorandam, visus est globus igneus Hostiam circumfusis late facibus ambire. Hæretis hic, arbitror, Auditores, dum vestrum nemo iudicare satis potest, è

Cæ-

Cælo ne ad illustre conditoris obsequium flammæ illæ descenderint, an ex IVONIS accenso pectore promanarint. Sed adeo candidas, quas in terram demitteret, non habebat Cælum faces. Vnus hoc præstare poterat IVO, quem iampridem delibatæ de igne simul, ac sole Deo flammæ purissimæ in candidum accenderant sydus. Et obsequioso flammarum coronamento Solem ambire, cui potius quàm syderi debeatur? Nequè verò dum hæc omnia stellarum decoratam commodè in IVONEM cadunt, illud vnum desiderari par est, quod præcipuè stellas decet. Adeste igitur animis Auditores, dum in altero syderum munere alteram expedio partem Orationis meæ.

Dicebā eam esse syderū naturā, vt non sibi dumtaxat auara quadā luminis parsimonia luceāt, sed præter publicam lucis è Cælo profusionem secreta etiā prodigæ beneficentiæ significatione mortalibus adblandiantur. O IVONEM igitur hac etiam ex parte syderibus eximiè parem! quàm enim ille profusus, quàm in calamitosam egenorum hominum familiam beneficus fuit? Euocatus ad tribunal ab Antistite Rhedonensi renuntiatus breui fuit gloriosa vniuersæ mortalitatis appellatione PAVPERVM ADVOCATVS. Neque enim seuero Iudicis nomine poterat appellari, qui reos addicturus morti suos ipse prius oculos lachrymis addicebat. An vt raro pietatis tenerrimę magisterio deleret quod seueriore Iustitię documento pronunciabat? scilicet non stellarum, quę legitima Cęli soboles nitent, sed

qui

qui luce fulgent abortiua, Cometarum est decretoria flammarum oberrantium nota cædes, ac funera denuntiare. Quia ferendam in contumacissimos Reos à Diuino Iudice sententiam sustinere non poterunt, cadent olim è cęlo stellę; perinde quasi non deceat mitissimos ignes in magna illa miserorum ruina subsistere spectatores. Qui verò tanta reos misericordia complectebatur, quanta calamitosos prosecutum charitate iudicatis Auditores? Eorum ille causas agebat in foro, non alia, quam vnius mercede misericordiæ prouocatus. Quod si præsto illis esse non poterat verbo, effusi tunc auri potentiore facundia perorabat. Qua nempè facundia mortalibus consueuere sydera patrocinari. O patronum vniuersa stellarum tribu suffragante benigniora in Cęli lumina reponendum, cuius suffragia summisso auro corrumpere ipsum puro luminis auro patrocinantis Cęli suffragium corrumpere sit. Nunquam ille carceris penetrabat angustias, quin suam inibi beneficentiam libertate profusiore laxaret. Aurum videlicet in carcerem conijciebat Ivo, vt homines ferro cōpeditos educeret in libertatē. Quis enim ęquiore iure detrudatur in carcerem, quàm tyrannus ille publicus mortalitatis, cui vel ante ortum Reo puniendo, ipsius naturæ Iudicis decreto statuta sūt ergastula Tartarorum? Quem verò in vsum impendi melius aurum possit, quàm cū ferri homines deuincientis contumaciam domat, captiuosque restituit libertati? Sic Ivo non tam aurei luminis prodiga sydera,

quam

quam auri largitorem liberalissimum Solem æmulabatur, dum in mortalium commoda manus verè aureas explicabat. In commoda mortalium dixi? O ferream, & nullius plane pretij vocem? ipsum etiam immortale Numen bonorum, donorumque omnium datorem optimum sua meruit I v o beneficentia complecti. Vt commodius egenos ad se diuertentes exciperet, certum ijs hospitium ædificauit. Quis verò ijs sat esse posset enumerandis, qui ad Ædilem humanissimum perpetuò confluebant? Vnum tamen silentio præterire non licet, quando æternum Patris Verbum est. Numerosam egenorum accumbentium manum epulo semel I v o recreabat. Admonetur interea loci hominem ad ianuā adesse pannosum, iniqua valetudine laborātem, vultu squallidum, situ deformatum, ab omni denique parte calamitosum. Accurrit, in domum inuitat, amplexatur, excipit osculo, deducit manu, assidere cum cæteris ad mensam iubet. Qua verò humanitate, qua charitatis, & beneuolentiæ significatione hospiti nouo blandiebatur? Cum subitò squallorem omnem hospes abijcit, & diuina circumfusus luce Sol apparuit æternorum luminum Pater. Scilicet in syderum etiam domos aliquando diuertere, & ibidem consueuit hospitari Sol. Huius ego Diuini Solis radijs illustratus, licet omninò saxeus sim, euasisse tamen sentio me ad ipsius inuidiam Memnonis eloquentem. Sed in vicino Gallici syderis occasu funus etiam, & occasum suum nostra meditatur Oratio. Cum enim syde-

ris iam munera omnia obiuisset in terris IVO, eò vocari se tandem sensit, vbi in omnem eluceret æternitatem. Quo igitur die Capitolium immortalitatis ascendit mortis victor, ac triumphator Deus, moriturum se ille rara supremi numinis indulgentia præcognouit. Quare lethali correptus morbo decubuit, tertiaque iam luce appetente sub accessum Auroræ (cum vicino Sole cadunt stellæ) lucem suam terræ subtraxit impertiturus Cęlo. Eò siquidem consecuturo syderi semitam strauerat qui paulò antè præcesserat Iustitiæ Sol. Sic in locum verè suum abijt IVO: aliena quippè syderum statio terra est, quibus vera Patria Cælum est. Ibi Beatis ille flammis auctior micat, quas è Diuinæ charitatis incendijs bibunt ignes æternorum orbium Inquilini. Illuc & vos inuitamini Proceres Augustissimi, quos affusa isthæc sacræ purpuræ flamma stellas designat futuras olim IVONIS in Cælo consortes. Nec alijs patet amplior in Cælum via, quam proximis Cælo Syderibus Vaticanis. Vos vero, qui ad iustitiam non tam verbo, quam re plurimos informatis, tunc æterna succensos in sydera videbit Roma, cum sua Vos Benefica flamma succendet

SPLENDIDVM CAELI GALLICANI SYDVS

IVO

DIXI.

B. Gio: Batta Andreani.

